Ephraem <Syrus>; Assemani, Giuseppe Simone [Hrsg.]: Sancti Patris Nostri Ephraem Syri Opera Omnia: quae exstant, graece, syriace, latine; in sex tomos distributa; ad MSS. Codices Vaticanos aliosque castigata, multis aucta, Nova interpretatione, Praefationibus, Notis, variantibus Lectionibus illustrata: Nunc primum sub Auspiciis Sanctissimi Patris ... Pontifecis Maximi e Bibliotheca Vaticana (Tomus Primus Graece, Et Latine)

1732 Seite 92



piter atque inhoneste incedere. Qui mandata custodit, seipsum diligit: at qui ea contemnit, animæ suæ detrimentum affert. Vir ebriosus & iracundus conturbat animas fratrum: & dedecus ejus semper cum ipso est. Impone ulceri malagma, & juniori monacho pietatem non fictam. Desolatus constituitur monachus novitius, propriam sequens cogitationem, & expertorum admonitionem non recipiens. Error pravus novitio monacho est inobedientia: submissio autem atque obedientia in Domino, est fortis ac valida protectio. Vir superbus & immorigerus dies adspiciet amaros: at humilis & patiens omni tempore lætabitur in Domino. Magna res est virum invenire patientem & humilem, & pulchritudinis ejus non est mensura. Non contradicas veritati, ac te tuæ inurbanitatis atque immodestiæ pudeat. *Non confundaris confiteri peccata tua: & ne dixeris: peccavi, & quid mihi accidit? Dominus enim patiens est & longanimis. Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Memineris non tardare iram. Non sit exporrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta. Monachus prudens in caritate seipsum circummuniet: at insipiens sibi odium accumulabit. Qui extollitur adversus fratrem suum, a dæmonibus illudetur. Noli perpetuo contemnere fratrem tuum: quoniam scriptum est: *Multi tyranni sederunt in pavimento, & insuspicabilis portavit diadema.* Sis hilaris in justitia; ad peccatum vero potius tristis. Ægritudo animæ est ambitio, eademque morbus malus. Egressus es cella tua, monache, ad ministerium? Custodi sensus tuos, ut non concilies tibi ipsi bella, & perturbationes cogitationum. Ubi non est sepes, diripietur possessio: & ubi non est patientia, ingemiscet errans. Multas excusationes sibi piger coacervabit monachus, & somnolentus in mala decidet. Monachus avarus instar palmæ est infructuosæ: at inops ac pauper, velut palma detonsa in altum ascendens. Monachus, qui rerum terrenarum amore capitur, similis est accipitri extenso, qui loris pedes implicat, & ubicumque consederit, implicabitur. At qui a rebus materialibus est alienus, viatori accincto & expedito est similis. Multi apud se videntur esse prudentes, sed intelligere nequeunt, eam quam putant prudentiam, detrimento animæ sibi futuram. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium bonum in anima timorem Dei respuente. Sapientia autem vera est, cuncta secundum Deum agere. Guttur dulce multiplicabit amicos: & qui diligit Dominum, custodiet vias ejus. Honora fratrem coram notis ejus: & coram Domino in honore eris. Oeconomus fidelis

Sap. Sirac. 4. 5.

Sap. Sirac. 11.

A λαμπρῶς καὶ περιπατεῖν ἀσέμνως. Ὁ συντηρῶν ἐντολάς, ἀγαπᾷ ἑαυτόν, ὁ δὲ καταφρονῶν ζημιοῖ τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ. Ἀνὴρ μέθυσος καὶ θυμώδης ταράσσει ψυχὰς ἀδελφῶν, καὶ τὸ ὄνειδος αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ ἐνδελεχῶς. Ἐπίθες μώλωπι μάλαγμα· καὶ νεωτέρῳ εὐλάβειαν ἀνυπόκριτον. Ἔρημος ἀποκαθίσταται νεώτερος μοναχός, ἐξακολουθῶν τῷ ἰδίῳ λογισμῷ, καὶ νουθεσίαν ἐμπείρων μὴ ἀποδεχόμενος. Πλάνη κακὴ

B νεωτέρῳ μοναχῷ ἡ ἀνυποταγή· ἡ δὲ ὑποταγὴ ἐν Κυρίῳ, σκέπη κραταιά. Ἀνὴρ ὑπερήφανος καὶ ἀνυπότακτος ὄψεται ἡμέρας πικράς· ὁ δὲ ταπεινόφρων καὶ ὑπομονητικός, εὐφρανθήσεται ἐπὶ Κύριον διαπαντός. Μέγα εὑρεῖν ἄνδρα ὑπομονητικὸν καὶ ταπεινόφρονα, καὶ τῆς καλλονῆς αὐτοῦ οὐκ ἔστι σταθμός. Μὴ ἀντίλεγε τῇ ἀληθείᾳ, καὶ περὶ τῆς ἀπαιδευσίας σου ἐντράπηθι. μὴ αἰσχυνθῇς ὁμολογῆσαι ἐφ' ἁμαρτίαις σου, καὶ μὴ εἴπῃς, ἥμαρτον καὶ τί μοι ἐγένετο; ὁ γὰρ Κύριός ἐστι μα-

C κρόθυμος. Μὴ ἀνάμενε ἐπιστρέψαι πρὸς Κύριον, καὶ μὴ ὑπερβάλλου ἡμέραν ἐξ ἡμέρας. Μνήσθητι, ὀργὴ οὐ χρονιεῖ. Μὴ ἔστω ἡ χείρ σου ἐκτεταμένη εἰς τὸ λαβεῖν, καὶ ἐν τῷ ἀποδιδόναι συνεσταλμένη. Μοναχὸς φρόνιμος ἐν ἀγάπῃ περιτειχίσει ἑαυτόν· ὁ δὲ ἄφρων πληθυνεῖ μῖσος ἑαυτῷ. Ὁ ἐπαιρόμενος κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ ὑπὸ δαιμόνων ἐμπαίζεται. Μὴ ἐξουθένει ἀδελφὸν εἰς τὸν αἰῶνα· διότι γέγραπται, πολλοὶ τύραν-

D νοι ἐκάθισαν ἐπὶ ἐδάφους, ὁ δὲ ἀνυπονόητος ἐφόρεσε διάδημα. Γενοῦ φαιδρὸς ἐν δικαιοσύνῃ· στυγνάζων δὲ μᾶλλον πρὸς τὴν ἁμαρτίαν. Ἀρρώστημα ψυχῆς φιλοδοξία, πάθος πονηρόν. Μοναχέ, ἐξῆλθες τοῦ κελλίου σου πρὸς διακονίαν; τήρει τὰς αἰσθήσεις, ἵνα μὴ συνάξῃς σεαυτῷ πολέμους καὶ ταραχὰς διαλογισμῶν· ᾧ οὐκ ἔστι φραγμός, διαρπαγήσεται κτῆμα, καὶ ὅπου οὐκ ἔστιν ὑπομονή, στενάξει πλανώμενος.

E Πολλὰς προφάσεις σωρεύει αὐτῷ ὀκνηρὸς μοναχός, καὶ ὁ ὑπνώδης περιπεσεῖται κακοῖς. Μοναχὸς φιλοκτήμων φοίνιξ ἄκαρπος· ὁ δὲ ἀκτήμων, ὡς κεκαρμένος φοίνιξ ἀνατρέχων εἰς ὕψος. Μοναχὸς φιλαΰλος ἔοικεν ἱέρακι ἐκπετασθέντι, λαβόντι λώρους εἰς τοὺς πόδας, καὶ ὅπου δ' ἂν καθίσῃ, ἐμπλακήσεται· ὁ δὲ ἄϋλος ὥσπερ εὔστολος ὁδοιπόρος. Πολλοὶ δοκοῦσι φρόνιμοι εἶναι ἐν ἑαυτοῖς, καὶ οὐ δύνανται νοεῖν,

F ὅτι ἣν δοκοῦσι φρόνησιν, ζημία ψυχῆς αὐτοῖς ἀποβήσεται. Οὐκ ἔστι σοφία, οὐκ ἔστι φρόνησις, οὐκ ἔστι βουλὴ ἀγαθή, ἐν ψυχῇ μισούσῃ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ. Σοφία ἀληθῶς πάντα κατὰ Θεὸν πράττειν. Λάρυγξ γλυκὺς πληθυνεῖ φίλους, καί ὁ ἀγαπῶν τὸν Κύριον συντηρήσει τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ. Τίμα ἀδελφὸν ἔναντι γνωρίμων αὐτοῦ, καὶ ἐναντίον Κυρίου τίμιος ἔσῃ. Πιστὸς οἰκονόμος κερδήσει ψυχὰς ἀδελ-

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/ephraem1732-1/0340
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg